

ad illas ſolvendas populus ex *juſtitia* teneatur, non dubium, quin male voli refractarii ad ſolutionem earum cogi poſſint; ipſique decimatores tam Eccleſiaſtici, quam laici decimarum ſolutionem juridicè urgere queant; & ſubinde teneantur.

VI. Imo refractarios ad earum ſolutionem & per cenſuras Eccleſiaſticas conſtringi poſſe in jure cautum eſt.

Legitur *lib. 2. Capitular. Regum. Francorum cap. 3. 8.* „ Qui decimas pro crebris admonitionibus & prædicationibus Sacerdotum dare neglexerint, *excommunicentur.* Et in *Cap. 5. De Decimis*, mandat Cantuarienſi Archiepiſcopo Alexander III. ut Parochianos, ſi opus fuerit, ſub *excommunicationis* diſtinctione compellat, ut de proventibus molendinorum, piſcariarum, ſceno, & lana, decimas Eccleſiis, quibus debentur, cum integritate perſolvant. Idipſum mandat in *Cap. 15. 21. eod. al. iſque Juris* textibus.

VII. His inſtitens Synodus Trid. *ſeſſ. 25. cap. 12. De Ref.* „ præcipit omnibus cujuſcumque gradus & conditionis ſint, ad quos *decimarum* ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuſcumque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui verò eas aut ſubtrahunt, aut impediunt *excommunicentur*; nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.

VIII. Verùm cum Synodus Tridentina eadem ſeſſione *cap. 3.* ſatis inſinuet, in cauſis præſertim civilibus, ad *excommunicationis*, cenſurarumque inſtigationem non eſſe procedendum, quando executio realis vel perſonalis aliter haberi poteſt, mores Belgii vix admittunt, ut laici decimas ſolvere renuentes per cenſuras Eccleſiaſticas compellantur; aut ob earum non ſolutionem *excommunicari* poſſint; eo quod alia paſſim media ſint, quibus ad ſolutionem cogantur.

IX. Refert Antonius Anſelmo in ſuo Triboniano Belgico *cap. 3. 2. §. 54.* quòd cum hic ageretur de publicatione Synodi Tridentinæ, eumque in ſinem Decreta reformationis ad Concilia Regia per Belgii Gubernatricem nomine Regis Philippi II. revidenda fuſſet miſſa; quod ad citatum *Caput 2.* quo præcipitur, ut unuſcuſque decimas quas debet, integre perſolvat, & qui eas ſubtrahunt aut impediunt, *excommunicentur*, „ notarint Brabantia, tractus complures in hac regione à decimarum præſtatione eſſe exemptos privilegio aut præſcriptione, & nominatim Regiam Majeſtatem ab hoc onere, in manem agere. Deinde non eſſe hic uſitatum, cenſuris vel *excommunicationibus* cogere reluctantes ad decimarum præſtationem, quæ nec per Canones, niſi pro rebus graviſſimis irrogari poſſunt. Solere hic jure, agi contra fruſtratores decimarum in Conciliis Provincialibus.

Similiter ad *ſeſſ. 22. cap. 11.* quo coercentur *anathemate* laici uſurpatores, detentores, violatores rerum & jurium Eccleſiaſticorum, vel piorum locorum aut fundationum, & Patroni jure patronatus inſuper privantur, „ animadvertentur Concilia, laicos hiſce in rebus con- veniri ſolitos apud judices ſeculares, & Concilia Provincialia, ibique pro modo culpæ coercentos. „ Anſelmo ibidem §. 31.

X. De jure communi cauſa decimarum tamquam Eccleſiaſtica tractanda videtur coram judice Eccleſiaſtico; ipſumque judicem Eccleſiaſticum eſſe etiam laicorum judicem competentem in hac materia decimarum communiter tradunt Canoniſtæ; & latè probat Covarruvias *Præſ. 9. cap. 35.*

XI. Verùm in his aliſque pluribus Provinciis & Regnis ſolent paſſim quaſtiones ſuper decimis coram Regiſ Tribunalibus agitari; & laici ad Concilia Regia ſuper ſolutione decimarum evocari.

XII. In Concordatis inter Carolum V. & Epifco-

pum Leodienſem *titulo 3. §. 1.* imprimis ſtatuitur: „ Si laicus actione perſonali, ex contractu per Eccleſiaſticam perſonam conveniatur, ratione bonorum merè Eccleſiaſticorum, ut puta decimarum vel oblationum, vel ratione bonorum (ut prædicatur) amortizatorum, poterit laicus in jus trahi coram Officiali, vel judice Officiali, vel judice ſeculari. Ita quod talis quaſtio erit mixti fori. Si verò eadem perſonali actione laicus per Clericum conveniatur, ex contractu, ratione aliorum bonorum, ad Eccleſiam ſpectantium, non amortizatorum, ut ſuprà, actor ſequetur forum rei, nec de taliſ bus cauſis ſe poterunt Eccleſiaſtici judices intromittere. Si autem laicus in vitis dominis, videatur deſtru- ctuſſe bona merè Eccleſiaſtica, vel amortizata, ut ſuprà, ſine aliquo contractu præambulo, poterit coram judice Eccleſiaſtico, vel ſeculari conveniri.

XIII. Deinde §. 13. decernitur, quod in cauſis merè Eccleſiaſticis, ut puta *decimarum*, judex Eccleſiaſticus, etiam contra Laicos poterit cognoscere in *petitorio*.

Quoad poſſeſſorium ſtatuitur in diſtis Concordatis *titulo 4.* quod per modum provisionis „ poſſeſſorium recuperandæ & retinendæ quaſtio & cognitio ſpectabit ad judices ſeculares privative, ſive agatur de poſſeſſorio beneficiarum, decimarum, juſſuſpatronatus, vel aliorum jurium, & quaſtio in poſſeſſorio ſuſpen- detur petitorium, niſi quaſtio petitoria eſſet conteſtata coram judice ſpirituali contra intentantem poſſeſſorium.

Subditur autem §. 2. „ Interdictum verò adipiſcendæ poſſeſſionis judici Eccleſiaſtico relinquatur.

XIV. Hodie in Belgio, in Gallia, Hispania, aliſque multis Provinciis poſſeſſorium decimarum tractari apud judices Regios notiſſimum eſt, & quotidiana praxiſ probat; notantque paſſim Pragmatici, quos citat Covarruvias *Præſ. quaſt. cap. 35.* Vide etiam Carolum Fevretium De Abusu *lib. 6. cap. 1.* & Broudæum ad Lovetium *Litt. B. num. 11. 2. List. D. num. 29.*

XV. Edictum Caroli V. anni 1520. quo vetat *inſolitas* decimas exigere (de quo actum ſupra *cap. 2.*) cognitionem novarum decimarum, puta an ſit nova ſpecies, an ſolvi ſolita quæ exigitur, attribuit Conciliis Provincialibus Regiſ; inhiſcendo omnibus judiciſ Eccleſiaſticis cujuſcumque auctoritatis ſint, eam ob cauſam quemcumque Laicum citandi, aliumque actum juridicum exercendi, prout latius in citato Edicto videri poteſt. Notatque Antonius Anſelmo in ſuo Triboniano Belgico *cap. 1. §. 11.* „ hic agi de *facto* non de jure; an ſcilicet ſint novæ ſpecies, an ab annis 40. retro ſint ſolutæ; an denique Eccleſia ſit, fueritque in poſſeſſione eas recipiendi & colligendi. Deinde monet, „ quod juridiſtictio hæc & cognitio quoad novas decimarum ſpecies Concordata Brabantia ſit confirmata. *Tit. de Jurisdic. 3. §. in cauſis 13. verb. Ordinatione tamen Præſ. ſuper modo decimarum ſolvendarum edita, in ſuo robore durante.*

Iniſta ſunt hæc Concordata anno 1541. adeoque viginti & uno annis poſt editum præcitatum Edictum de non exigendis *inſolitis* decimis.

XVI. Obſervat Covarruvias loco ſupra citato *num. 2.* Vetl. *Quanto erit*, „ cauſam decimarum quandoque in his Regnis (Hiſpaniarum) tractari apud Regios Auditores: nempe cum Laici contendunt, decimas ab eis exigere, quæ legitima temporis præſcriptione mini- me debentur, & ſunt remiſſæ, denique conqueruntur contra morem & conſuetudinem decimas ab eis exigere; nam eſſi condemnentur à judice Eccleſiaſtico, niſi hilominus ex querela cauſa retinetur apud Regiam prætoriam. Siquidem & Literæ Regiæ paſſim dantur, à ſupremo ſenatu ad id, ut Laici non cogantur decimas illas ſolvere, quæ ſolvi legitima temporis præſcriptione non conſueverunt.

Idem

Idem in Gallia ſervari, & pridem à Philippo IV. decretum fuiſſe teſtantur Pragmatici.

XVII. Cum autem hodie ratiſſimè de ipſo jure decimarum quoad petitorium quaſtio incidat; ſed penè ſemper de poſſeſſione & conſuetudine ſolvendi vel exigendi quaſtio ſit: ſoleantque Laici recuſantes decimarum ſolutionem non *juſ* ipſum decimandi negare: ſed tantum poſſeſſionem vel conſuetudinem eas ex tali ſpecie, aut in tali quota & modo ſolvendi, etiam vix quaſtio ſuper earum ſolutione coram judice Eccleſiaſtico agitur: ſolentque Laici non coram Judice Eccleſiaſtico, ſed Regio evocari, & ad earum ſolutionem compelli.

XVIII. Cæterum dum judex Laicus de ſolo poſſeſſorio decimarum cognoscit: & quaſtio de *quota* decimarum incidat, dicit Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Deſinit. 63.* „ Quod judex ſicuti de ſola poſſeſſione, bere poteſt, ita quotam illam demum præſcribere poteſt, quam præſtari ſolitam videt ex concluſionibus & indubitatis probationibus. Sin minus ei liqueat de quota certa, nihil aliud ſuper eſt quod facere poſſit, niſi & formam juris ſequatur.

Deinde addit: „ Nec movere illum debet, quod perperam judicaturus videatur, ſi Parochium tueatur in quaſi poſſeſſione decimæ exigendæ, qui nunquam in ea poſſeſſione fuerit, quique longè minorem, licet diſſormem quotam à Parochianis accipere ſolitus probetur. Nam quod pertinet ad juſ exigendarum decimarum ad formam juris, ſemper Eccleſia poſſidet quamvis diu contraria poſſeſſio nulla eſt, cujuſ ratio, defectu probationum in judicando haberi poſſit. *Ita tractatum eſt* in cauſa R. Antonii de la Rouaire Parochi & Parochianorum de Greſly 13. Cal. Januarii 1593.

Quod in quaſtione circa determinationem *quote* reſolvit hic Antonius Faber, idipſum & in aliis quaſtionibus, ubi de excluſendo Decimatore jure communi fundato agitur, obſervandum eſſe, non difficile eſt intelligere.

XIX. In exactione & petitione decimarum illud quoque obſervandum, eas non poſſe peti niſi de fructibus excretis: ſive juſ decimarum non eſſe onus fundorum, ſed fructuum. Hinc nullis fructibus excreſcentibus etiam decimæ prætendi nequeunt: tamenſi etiam per negligentiam proprietariorum aut colonorum factum eſſet, quod fructus nulli, aut minus valentes excreti & collecti eſſent.

XX. Imò ipſe proprietarius fundum ſuum *incultum* relinquere poteſt: neque à Parocho aliove Decimatore ad excolendum aut ſeminandum adigi poteſt; uti rectè monet Grimaudetius *De Decimis lib. 3. cap. 3.*

XXI. Additque Grimaudetius: Curatus enim non eſt dominus, nec juſ habet in fundos, ratione cujuſ poſſit impedire poſſeſſorem, ne re ſua pro libitu utatur; mutetque fundum ſuum ſolium ſeminari graniſ decimabilibus, in aliam ſpeciem culturæ, è qua decima non ſolet ſolvi, puta in pratium, ſylvam, aut ſtagnum.

XXII. Hoc enim caſu decimator nihil prætereſt poteſt, nihilque juris habet. Juſ enim ad decimas tantum prætereſt poteſt, quando fructus decimabiles excreverunt quia decimæ ex fructibus, non autem ex fundis debentur: ſatisfacitque fundi proprietarius, ſi ex fructibus *decimabilibus* decimas ſine fraude exſolvat.

XXIII. Idipſum notavit quoque Zypæus in Jure novo titulo *De Decimis num. 5.* unà tamen addens: „ Sed quid ſi in toto pago terræ arabiles vertantur in boum paſcua, ut quadantenus ibi annihilentur decimæ, & Cleri alimenta? Deſiderabit æquitas, ut intra modum judicis officio coarctetur hæc libertas, ad exemplum privilegii nimium præjudicantis. „ Aut ſaltem eo caſu declarari poſſet, in tali parochia decimas ex ſimilibus terris aut fructibus deberi ob eorum frequentiam: licet hæcenus ex ſimilibus ſolium non fuiſſet decimas

exigere, quamdiu in exigua quantitate ſeminari ſolebant.

XXIV. Ulterius quia decimæ ſunt onus fructuum, non fundi, rectè docent Canoniſtæ, decimas exigere non poſſe à novo fundi poſſeſſore, ſi forſan à prædeceſſore qui fructus percepit non fuerint ſolutæ.

XXV. Imò cum decimæ quotannis ex fructibus ſingulis annis excreſcentibus debeantur, ſi uno anno petita non fuerint, ſequenti anno duplices peti nequeunt: imò pro anno illo quo petita non fuerint, remiſſæ habentur.

„ Decimæ quamvis in annos ſingulos debeantur, etiam citra interpellationem (ait Antonius Faber loco citato *Deſinit. 63.*) ſi tamen ſuo tempore petita non fuerint, poſtea pro annis præteritis peti non poſſunt, quaſi tacito judicio remiſſæ. „ Et ita à Senatu Sabaudia judicatum dicit anno 1593.

Unde inter regulas in hac decimarum materia in Gallia receptas, & hanc Michael Du Perray in ſuo tractatu de portione congrua *parte 2. cap. 30. num. 38.* ponit, quod decimæ præteritorum annorum non petantur. Verba ejus ſunt: *C'eſt auſſi une maxime tres conſtante que les Dixmes ne tombent pas en arrearages, & Pon n'en peut point demander pluſieurs années. les Dixmes ſe payent ſur le champ, èt ans deſtinées à la nourriture des Miniſtres du Seigneur qui ſervent à l'Autel, ils ſont preſumez de les avoir priſes. Jugé par Arreſt du 13. Decembre 1672.* Id eſt. Axioma certiffimum eſt decimas non obſtringi æris alieni reliquiis, nec plurium annorum decimas exigere faſeſſe. In ipſo temporis articulo ſolvuntur decimæ, cum alimentariſ ſervorum Dei qui altari miniſtrant, deputentur quibus ipſos gavifos eſſe præſumitur. Ita judicatum Senatus conſulto die 13. Decemb. 1672.

## CAPUT X.

### De Oblationibus.

1. Quid oblatio generaliter ſumpta?
2. Quid apud Canoniſtas nomine oblationis veniat?
3. In quo præcipue oblationes à decimis diſtinguantur?
4. Vulgus tantum pro oblationibus habet inter Miſſarum ſolemnia offerri ſolita.
5. Hæc acceptio vulgaris nimis conſtricta.
6. Oblationes debent eſſe voluntaria.
7. Omnes proventus Eccleſiæ juri communi cedunt Eccleſiæ parochiali.
8. Eccleſiæ Parochiali de jure communi competunt oblationes.
9. Etiam facta ad imaginem extra templum parochiale.
10. Item que ſunt Sacerdoti celebranti in Succello intra limites parochiæ.
11. Similiter que ſunt tempore Jubilai, vel anno ſancto &c. in Eccleſiâ Cathedrali ſpectant ad Archipreſbyterum, non autem ad Epifcopum.
12. Competit vicario perpetuo excluſo Paſtore primitivo.
13. Hæcenus dicta procedunt jure communi.
14. Ex conſuetudine & voluntate offerentium poſſunt oblationes aliis competere.
15. Si conſtet de voluntate offerentiſ ceſſat juſ commune.
16. Oblationes collectæ per Magiſtros fabricæ, menſe S. Spiritus, aliſque ſimiles non ſolent cedere Parocho.
17. Sicuti nec que offeruntur in truncis expoſitis ad recipiendas Oblationes in certum uſum.
18. Oblationes que ſunt ad imaginem & reliquias alieni juſ Sancti ſolent cedere Sacello in quo imago vel reliquia requieſcunt.
19. Si Succellum habeat ſpeciales mamburnos oblationes ſolent cedere ſacello.

20. Hodie



20. Hodie solent oblationes quæ sunt extra altare aliis quam parochis cedere.
21. In quibus oblationibus hodie jus commune obtineat?
22. Prædicta conformia sunt Synodo Namurcensi.
23. Si nulla circumstantia determinent usum Oblationum saluum manet jus parochi.
24. Oblationum administratio manet penes parochum licet in alterius usum sint impendenda.
25. Etiam si administratio sit penes laicos.
26. Non est inconueniens oblationum administrationem esse penes laicos.
27. Neque per hoc impingitur in canones vetantes oblationes cedere laicis.
28. Quo titulo laicis possit competere administratio oblationum.



Oblatio generaliter sumpta, idem sonat, quod alicujus rei non petita spontanea largitio. Quæ si homini fiat, *Donatio* dicitur: si deo, magis proprie *Oblatio*: quia cum deo, utpote omnium Domino nihil dari queat maluerunt Canoneseam largitionem *Oblationem* vocare.

Oblatio ita generaliter sumpta comprehendit & oblationes strictè dictas, & decimas, primitias & quidquid à fidelibus in usum Ministrorum Ecclesiæ Deo consecratur.

II. Verùm, modo loquendi Canonistis usitato, oblationes à Decimis distinguuntur, vocanturque *oblationes* quæ à fidelibus vel ad Altare, vel etiam extra Altare *ultrò & voluntariè* citra ullam in quantitate aut specie determinationem deo vel Ecclesiæ dantur.

III. Itaque in hoc præcipuè Decimæ ab oblationibus discernuntur, quod decimæ partim ex jure, partim ex consuetudine soleant esse determinatæ ad certam quotam, & speciem; nec earum determinatio, & solutio Fidelium laicorum voluntati & libertati sit relicta: è contra verò, *oblationum* tam quoad quotam, quam quoad speciem determinatio à nutu & beneplacito offerentium dependere consueverit.

IV. Vulgari hodierno loquendi usu, oblationum nomine ferè dumtaxat veniunt illa, quæ ad manum Sacerdotum inter Missarum solemnias offerri consueverunt de quotam uiv & origine actum est supra titulo 5. cap. 4.

V. Equidem dubitari nequit, quin plura alia quæ hodie à populo offeruntur sint vera *oblationes*, & nomine *oblationum* veniant, prout etiam à decimis & primitiis distinguuntur: ut puta quæ post administrata Sacramenta: aut in purificatione mulierum similibusque functionibus Pastoralibus populus offerre solet; & quæ etiam in truncis ad colligendas eleemosynas populi expositis ponuntur; aut Matriculariis sive Magistris Fabricæ, vel mensæ S. Spiritus juxta morem in plerisque Religiosis Ecclesiis receptum, circumeuntibus per Ecclesiam, dantur: vel etiam alio modo in usum Ecclesiæ aut pauperum: v. gr. in Ecclesiis Ruralibus, in carnis ovorum, butyri, aut alterius edulii specie ipsis exhibentur: item illa quæ à visitantibus certa Oratoria vel Sacella, in quibus Imagines vulgò Miraculosæ, vel Sanctorum Reliquiæ quiescunt, ibidem vel in, vel extra Altare offeruntur quæ omnia nomine *oblationum*, ex modo loquendi SS. Canonum & Canonistarum veniunt.

VI. Oblationes, præsertim in administratione Sacramentorum aliave functione Pastoralis dari consuetas planè voluntarias & liberas esse debere ostensum est supra titulo 1. cap. 3. ibique probatum, omninò vetitum esse, quidquam directè vel indirectè pro hujusmodi functionibus stipulari: sed dumtaxat permitti, ut accipiantur quæ *ultrò & liberaliter* à Fidelibus offerun-

tur: ac insuper quàm sollicitè omnis species Simonie & turpis quæstus in receptione harum oblationum caveri debeat.

VII. Proventus singularum Parochiarum cedere Ecclesiæ Parochiali ejusque ministris uno consensu concludunt Canonistæ cap. 9. *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*. In quo dicitur: "Cum auctoritate Dionysii fuerunt parochiæ limitatæ, quatenus singularum parochiarum proventus in usum Ecclesiæ cederent necessarios, & ministrorum.

VIII. Inter proventus verò parochiarum numerandas esse oblationes, quæ in districtu Parochiæ offeruntur, nemo negat.

Hinc ulterius pari consensu conficiunt Canonistæ, parochum tamquam primarium Ecclesiæ Parochialis Ministrum *de jure communi* fundare suam intentionem in perceptione omnium oblationum, quæ obveniunt infra limites suæ parochiæ: easque ei deberi, nisi ostendatur vel ex voluntate offerentium, vel immemoriali consuetudine, aliove legitimo titulo ad alium spectare.

IX. Quamobrem oblationes quæ fiunt S. Imagini infra limites Parochiæ, non ad Dominum parietis cui imago adhæret, nec ad Episcopum spectare, sed ad parochialem Ecclesiam, seu illius Rectorem post alios Canonistas tradit Fagnanus ad citatum capitulum 9. hancque esse communem Doctorum conclusionem asserit ex Socino: "Quam, ait, etiam sæpius secuti sunt Dominus, ni De Rota: ubi hæc sententia, licet fuerit olim contraversa, tamen hodie dicitur esse receptissima.

Procedit quodque hæc conclusio in oblationibus factis Imagini existentibus in aliqua Capella seu Oratorio infra limites Parochiæ: ut scilicet oblationes illæ non cedant Capellæ, sed Ecclesiæ Parochiali: quemadmodum post Abbatem aliosque veteres Canonum Interpretes docet Fagnanus loco citato num. 24. & Barbosa de officio Parochi cap. 24. num. 22. qui & addunt, id etiam procedere, licet oblationes essent factæ in Capellis, ubi essent erecta distincta beneficia: "Quia nihilominus Parochiali Ecclesiæ, & Parocho, non Capellis aut eorum Capellanis oblationes cedunt.

X. Quinimò licet oblationes offerantur celebranti Capellano, aut alteri Sacerdoti in Sacello intra vel extra Ecclesiam Parochialem sed tamen infra limites Parochiæ, nihilominus cedunt Parocho, non Presbytero celebranti: "Nam oblationes faciunt Parochiani, ait Fagnanus propter administrationem Sacramentorum.

XI. Eodem fundamento: "Oblationes quæ fiunt tempore Jubilæi vel anno sancto in Ecclesia Cathedrali, licet (ait Barbosa loco citato num. 27) spectant ad Archi-Presbyterum ejusdem Ecclesiæ, non ad Episcopum: nam cum Archi-Presbyter habeat curam animarum, & Sacramentorum administrationem, habet per consequens de jure communi fundatam intentionem ad omnes oblationes, idque privativè ad Episcopum. "Hæc Barbosa post plures ibidem allegatos Doctores.

XII. Cum ergò oblationes, uti & decimæ, principaliter dari præsumantur in usum & sustentationem Sacerdotum curam spiritualem populi offerentis sustententium, consequens est oblationes de jure communi potius Vicario *perpetuo*, quam Pastori *primitivo* adjudicandas esse. Cura enim spiritualis populi integra & solida est penes Vicarium *perpetuum*; adeò ut quoad eam curam Vicarius *perpetuus* nomine, non re a vero Parocho distinguatur Penes verò Pastorem *primitivum* nihil de cura animarum est: sed solo penè nomine *Pastor* dicitur uti latius ostenderetur titulo sequenti.

Refert quidem Renatus Choppinus lib. 2. *De sacra politia*. tit. 7. num. 25. Parlamentum Parisiense contulisse in receptione oblationum, Pastorem *Primitivum*,

Vicario

Vicario ejusdem Ecclesiæ esse præferendum; sed monet Franciscus Pinsonius tract. *De Beneficiis parte 3. §. 2.* "Illud decretum Curie non definitiva functione pronuntiarum, sed interim & pendente decisione appellationis tamquam ab abusu, ab ipso Vicario interpositæ à sententia Officialis Parisiensis, qua primariis Parochiis oblationes addixerat; adeò ut inde pateat, Senatorem extemporali judicio, non perpetuò jus dicere voluisse. "Hæc Pinsonius; qui num. 18. addit "nam & aliam, ut observavit Laurentius Bouchellus in Bibliotheca Juris gallici in verbo *oblationes*, Senatus oblationes in Ecclesia S. Salvatoris exhibitas, ejusdem Rectori seu Vicario perpetuo deberi pronuntiavit, exclusis Regularibus S. Martini Campestris, licet primariis Rectoribus ejusdem Ecclesiæ, quod & hodie observatur & æquius est.

Vide etiam Le Maître *Plaidoyé* 9. ubi latè ostendit oblationes Vicario *perpetuo* excluso Pastore *primitivo* competere: & ita judicatum pro Vicario contra Capitulum Cathedralè an. 1633. fuisse ibidem asseritur.

XIII. Hæc omnia, quæ hæcenus de jure Parochi & Vicarii ad oblationes dicta sunt, procedunt *in dubio & de jure communi*; id est, ubi non constat de contraria consuetudine, vel de alia ipsorum offerentium voluntate: quæ in oblationibus, utpote ordinariè & plerumque merè voluntariis, præcipuè attendi debet: & ratione cuius frequentè oblationes ad alia loco, vel personas, quæ ad Ecclesiam Parochialem aut Parochum pertinent.

XIV. Sicuti enim communi consensu Canonistarum receptum est, oblationes, attento jure Communi ad Parochum spectare: ita quoque receptum est, oblationes vi consuetudinis, privilegii alteriusve tituli: & præcipuè ex voluntate offerentium posse ad alios, quàm Parochum pertinere.

XV. Hinc infert Cardinalis De Luca *Discursu* 19. *De Decimis*: "Ubi expressè vel etiam adminiculariter, & conjecturaliter constat de voluntate facientium oblationes & eleemosynas, ut ipsi Ecclesiæ seu certis ubi bus applicari debeant, non autem ut ipse Rector impingatur, atque in privatos usus, privatamque utilitatem convertat, tunc absque dubio illa voluntas servari debet: eaque cuicumque juris dispositioni prævalet.

XVI. Ex hac verisimili offerentium voluntate, oblationes quæ colliguntur, etiam in ipsis Ecclesiis Parochialibus per magistris Fabricæ sive Edictos, vel Magistris mensæ S. Spiritus, aliosve Magistris seu Intendentes alicujus domus pauperum, aut orphanotrophii, vel Sacelli, aut Altaris, non cedunt Parocho, sed Fabricæ pauperibus, Sacello, aut Altari, in quorum respectu usum sciuntur à Magistris illis, aut intendentibus peti & colligi.

XVII. Similiter, quæ offeruntur in mensis aut truncis ad recipiendas oblationes in certum usum expositis indubiè in eum usum cedunt. Cum enim populus sciat, eum in finem mensas, aut truncos esse expositos, oblationes suas in mensas illas aut truncos conjiciendo, aut reponendo, fat significat, eas velle usui designato applicari.

XVIII. Eodem ex capite, usu ubique penè receptum ut oblationes notabiles & frequentes quæ fiunt ad imagines vel reliquias alicujus Sancti, ob miracula vera, vel purativa, cedant Sacello sive Oratorio in quo imago vel reliquie quiescunt: "Omninò enim probabile est, (inquit Cardinalis de Luca loco citato num. 11.) quod populus pro gratiis acceptis, vel speratis, ad illam imaginem recurrendo cum eleemosynis & oblationibus, id agat animo donandi ipsi imagini, & frequentius ut sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, & exornetur, non autem ad donandum Parocho, vel Episcopo seu alteri Prælato ad privatam utilitatem,

XIX. Si oblationes fiant in Sacello quod habet speciales Mamburnos seu Magistris, qui curam Fabricæ, & ornamentorum habeant; itemque cura ut Divina ibidem Officia agantur, oblationes illæ de consuetudine non Parocho, aut Ecclesiæ Parochiali, sed ipsi Sacello, ex conjecturali offerentium voluntate, cedere solent: præsertim quæ extra Altare offeruntur.

Cum enim noverit Populus, Magistris sive Mamburnos aut intendentes istorum Sacellorum colligere eleemosynas sive oblationes in usum Sacellorum, populus offerendo, præsumitur offerre ad intentionem colligentium.

XX. Quin & consuetudo ferè universalis habet, ut oblationes quæ vel colliguntur extra Altare, vel fiunt in truncis per Ecclesiam vel Sacella, vel ad certum Altare, aut imaginem dispositis, cedant vel fabricæ, vel ad ornatum Altaris, aut imaginis, aliumve usum, in quem ex conditione colligentium, vel inscriptione trunco imposta, vel ejus locali dispositione sciuntur colligi & peti.

XXI. Ideoque penè de solis oblationibus quæ fiunt in Altari, & in administratione Sacramentorum, aut exequiis, vel anniversariis, sive inhumationibus defunctorum, jus aliquod Parocho competit, præsertim extra Ecclesiam suam Parochialem.

Quin & quoad has consuetudine, aliove titulo legitimo nonnumquam obtinuit, ut oblationes etiam quæ fiunt ad Altare, aut in exequiis vel anniversariis defunctorum, in Sacellis aut Ecclesiis succursalibus cedant non ipsi Parocho, sed vel celebranti, vel Presbyteris & Ministris Sacellorum aut Ecclesiarum, vel etiam Fabricæ, aut alteri pio usui.

Imò & non rarò, etiam ex oblationibus, quæ in Ecclesia Parochiali fiunt ad Altare vel extra Altare, pars aliqua cedit Fabricæ; aut interdum Canonis, aut aliis, qui Pastores primitivos se vocant.

XXII. Hæc omnia conformia sunt iis, quæ de oblationibus leguntur in Synodo Namurcensi sub Engleberto Desbois anno 1639. tit. 17. "Oblationes quæ fiunt in Ecclesiis parochialibus & Capellis in iisdem constructis, ad eos pertineant, qui hæcenus illas ex antiqua consuetudine perceperunt. Et ubi consuetudine nihil introductum est, Pastor solus habeat oblationes, quæ fiunt ad majus Altare & ad Altaria dictarum Capellarum non habentium mamburnum particularem, Si quæ verò dictarum Capellarum mamburnum habent oblationes soli Capellæ cedant, quemadmodum etiam Confraternitatibus Confraternitatum oblationes illis exceptis, quæ offeruntur in Altari ad manus celebrantis tempore Missarum, quæ erunt Pastoris.

XXIII. Itaque quæ de jure Parochorum ad oblationes hæcenus dicta sunt, obvenit dumtaxat, quando non constat quem in usum offerentes velint suas oblationes impendi: aut saltem non constat, eos velle illas impendi in alium usum, quàm parochi, aut Ecclesiæ Parochialis.

Si verò nec circumstantiæ determinent usum, cui verisimiliter offerentes suas oblationes velint applicari: sed simpliciter ad honorem Dei, idque ex quadam recepta offerendi consuetudine offerant: uti plerumque contingit in oblationibus, quæ fiunt in officiis defunctorum; item in oblationibus quæ fieri solent ad manum celebrantis in festis solemnioribus, his & similibus casibus, Parochus de jure communi habet fundatam intentionem ad oblationes: & nisi ostendatur consuetudo aut privilegium, aliusve legitimus titulus contrarius, oblationes integræ Parocho competunt.

XXIV. Tamen si oblationes ex voluntate verisimili offerentium frequentè in alium, quàm Parochi usum impendendæ sint, nihilominus tamen & eo casu, de jure communi ipse Parochus, tamquam primarius